



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 132. Tractatus Moorensis utrinque firmatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

§. CXXXI.

*Scotiæ negotia.*Secul. XVI.
A. C. 1525.

Quarto tractatu conventum, Regem Scotiæ inter Franciæ Fœderatos haud numerandum, nisi Scoti a vigesima quarta Decembris die adversus Angliæ Regem nil hostile molirentur. Quintum denique pactum præscribebat, ne Galliarum Rex ullo pacto permittat, ut Albanæ Dux in Scotiam revertetur, donec Jacobus V. pupillarem ætatem egressus esset. Postremo Regni Administratrix dato Chirographo sese obstrinxit, numeraturam se Cardinali Volsejo residuam pensionis suæ summam, quæ a quatuor omnino annis nunquam soluta ad triginta ferme aureorum millia ascendebat.

§. CXXXII.

Tractatus Moorefis utrinque firmatus.

Cunctos horum pactorum articulos Regni Gallici Administratrix ratos habuit, jurataque fide firmavit, nec minus eos itidem Parisiensis, Tolosanus, & Burdegalensis Senatus acceptarunt. Proceres quoque, necnon Magistratus urbium, quæ cautionem præstabant, promissi syngraphas tradiderunt. Denique ipse etiam Franciscus Galliarum Rex,

Sæcul. XVI.
A.C. 1525.

Rex, quamvis adhuc in Hispania captus hæreret, pacta proprio chirographo subscripsit, sui que consensus tabulas die vigesima septima Decembris datas in Angliam tranmisit. Fœdere igitur ita concluso, atque utrinque firmato Regni Procuratrix animum erexit, ut majori cum fiducia de conditionibus transigeret, quibus Rex ejus filius in libertatem assereretur. Aliunde haud exigua spes affulgebat, fore, ut Rege Anglo Gallorum studiis addicto ipse etiam Papa, Venetique illis accederent, cum adversus Cæsarem fœdus inire hucusque solo metu absterriti fuissent.

§. CXXXIII.

Comitia Augustæ celebrata.

Die vigesima quarta Mensis Maji Cæsar ad primam Octobris diem Comitia Augustæ celebranda indixit, atque in convocationis diplomate exposuit, se quidem animo constituisse, ex Pontificis sententia Synodum congregare, cum vero hoc negotium longioris esset moræ, ac aliunde in potissimis Germaniæ Provinciis Wormatiense edictum effectui haud fuisse datum comperisset, necnon plurimæ turbæ ac dissidia inter ipsos Principes, ac S. R. Imperii status essent suborta, & Turcæ quo-